



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

§. I. De voce audita è Templo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

narum. (v.14.) Sunt enim spiritus demoniorum facientes signa, & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælum ad diem magnum Omnipotentis Dei. (v.15.) Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. (v.16.) Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armageddon. (v.17.) Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem & exivit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est. (v.18.) Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terra motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terra-motus, sic magnus. (v.19.) Et facta est Civitas magna in tres partes: & Civitates Gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memortiam ante Deum dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. (v.20.) Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi. (v.21.) Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines: & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

S. I.

De voce audita è Templo.

AD VOCEM MAGNAM DE TEMPLO editam, effunduntur phiala suo ordine à SEPTEM ANGELIS. Etenim sicut in prima Parte Apocalypseos iidem 7. Præsides Angeli accipiebant Tubas quibus præmonerent ad cautelam: ita in hac Secunda Parte, postquam malitia jam obstinata fuit ac remedium desperatum, accipiunt quas effundant Plagas ad vindictam. Sicutque ex intentione quidem Angelorum Præsidium sicut illis Tubæ, ita hinc Plagæ, salutare & in correctionem electorum,

quæ nu- Sic enim se res habet: Æquivalet

in plerisque hæc Visio hujus Secundæ per Tubæ: jam
Partis illi Primæ: & altera alteram elucidat: quod sine dubio vidit S. Augustinus quem in præmio secundæ Partis Apocalypseos citavimus, dum ait, in Apocalypsi eadem repeti, nec esse alia quæ dicuntur, sed aliter. Et in præsentem materia evidens erit expediti diligenter Lectori, atque inter se conferenti Tubas cum Plagis. Hoc discrimine (præterquam quod perpaucas quædam adjuncta variantur:) quod illa quæ ibi fuerunt nuntiata de inchoatione & parturitione mali, hinc dicuntur de statu radicatione eorundem aut simillimorum malorum in futuris nominibus:

H 2 viffimis

vissimis temporibus Antichristianis: ita ut quod ibi cœptum fuit geri, cernatur hîc inveteratum aut consummatum. quod discrimen (& relatio seu respectus usque ad Antichristum) est notatu dignum & proprium hujus secundæ Partis.

Effusæ :

2. Hinc est quòd in prima Parte Apocalypseos vocentur Tubæ, cum hæc mala inciperent : ad excitandos vigiles Ecclesiæ. in hac verò Secunda Parte Apocalypseos jam vocantur Plagæ; quia invaluerunt : & quidem dicuntur *effundi*; quia usque ad novissimum malorum ac temporum. Hinc etiam est quòd in narratione de Tubis non fiat mentio nominis Bestiæ: at hoc Capite 16. de Plagis, statim v. 2. de prima plaga dicitur : **FACTUM EST VULNUS SÆVUM ET PESSIMUM IN HOMINES QUI HABEBANT CHARACTEREM BESTIÆ, ET IN EOS QUI ADORAVERUNT IMAGINEM EJUS.** & v. 10. **QUINTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM SUPER SEDEM BESTIÆ.** Ex quibus appâret, quòd ea quæ in hac secunda Parte Apocalypseos videntur, spectent ad tempora usque novissimæ persecutionis Antichristianæ, quò diriguntur. Durabit enim schisma & Sedes prioris Bestiæ, Imperium infidele Orientale usque ad Antichristum: & erit dispositio opportuna defectioni ad eundem. Quam-

obrem hoc Cap. 16. v. 2. & 10. citato, perinde est ac si dicatur : perseverabunt Schismatici usque in finem, & multi Schismaticorum deficient ad Bestiam ultimis temporibus atque ad venientem Antichristum seu pseudo-Judaismum, desertâ penitus fide Christiana: quod est sævum vulnus. Atque ob eandem causam non est mentio Stellæ in phiala tertia; sicut facta est in Tuba tertia ubi canebatur initium Schismaticis, quod in phiala habetur pro diuturna plaga.

3. Nimirum hæc materia valdè fuit inculcanda & iterum prophetanda; non sine amaritudine ventris ructantis; prout S. Joannes est jussus proximè finem Tubæ sextæ & Diphtheræ, cap. 10. v. 10. & 11.

Utrobique autem indicatur cœpisse à Templo malum: dum & illîc dicitur Angelus implèssè thuribulum de igne Altaris & misissè in terram (cap. 8. v. 5.) & hîc è Templo (v. 1.) egressa esse vox de phialis effundendis in terram. Illîc de *Thuribulo* quod ex instrumento placationis assumitur inter utensilia comburendi ac nocendi: hîc de *Phialis* quæ serviant ad effundendam iram à DEO, pro eo quod fuerint odoramentorum ad

DEUM cap. 5.

v. 8.

S. II.